

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker D. & PP. Ad Cohonestandas Exequias Quas ... Dn. Reinholdo von Gehren Seniori I. U. D. celeberrimo & Syndico civitatis Rostochiensis bene merito Vidua & liberi eius moestissimi Hodie hora 1. in aede D. Mariae sacra parare cupiunt Omnes & singulos huius Universitatis cives, omnesq[ue] literatos & literarum fautores paecipue ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1660

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777445158>

Druck Freier  Zugang




Redeker, H. R.,  
in R. v. Gehren.

Rostock. 1660.

38
















30  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
HEINRICUS RUDOLPHUS

Redeker D. & PP.

AD COHONESTANDAS EXEQUIAS

Quas  
VIRO *Amplissimo & Consultissimo*  
Dn. REINHOLDO

von Schren Seniori

J. U. D. celeberrimo & Syndi-  
co civitatis Rostochiensis bene  
merito

Vidua & liberi ejus mœstissimi  
Hodie hora 1. in æde D. Mariæ sacrâ  
parare cupiunt

Omnes & singulos hujus Uni-  
versitatis cives, omnesq; literatos & lite-  
rarum fautores officiose & aman-  
ter invitat.

---

ROSTOCHII,  
Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1660.



38

RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCKENSIS  
HENRICUS BUDOLPHUS  
Schedt D. & P.  
AD COMONESTAN DAREXORUM  
OTTO Wilhelm O. Confessorius  
Dr. REINHOLDO



Vidua & libere eius mortuorum  
Hodie hora 1 in ecc. D. Mariae lae  
curiae fuerunt  
Omnes & singulos huius  
verificatives omnesque & lic-  
tatum factores officio & man-  
157. n. v. r. c.

ROSTOCK  
Typ. JOHANNIS BELL, Act. Typogr. Anstalt.





RECTOR UNIVERS. ROSTOCH.  
HEINRICUS RUDOLPHUS *Redeker*  
CIVIBUS ACADEM.

*Salutem!*



Quod in mari undarū cursus notat, illud in terra vita humana explet: Uti enim una unda alterā sequitur eāq; depellit; Ita in vita nostra cottidie fieri videmus, alius nascitur, alius nato cedit; hic currere incipit, ille terminum serius vel ocyus attingit. Hæc perpetua rerum viciscitudo in omnibus rebus creatis, & præcipue in humano genere de die in diem contingit. Neque illa subordinata rerum mutatio heri cepit, vel hodie desiit, sed uti à prima omnium rerum origine fuit, ita ad extremam orbis ruinam durabit. Vita enim nostra quæ precario nobis à summo numine concessa est, nihil perpetui pollicetur neq; ullius constantiæ fidem promittit. Quam cito homo originem dierum numerat, finem intendit & uti unda in spumam evanescit. Talem cursum incepit Anno 1583. Vir Amplissimus & Consultissimus DN. REINHOLD von Geshoten J. U. D. & Syndicus hujus Civitatis celeberrimus, neq; incepit tantum currere, verum etiam ad raram seculi felicitatem longe excurrit, quando cursum humanæ vitæ in quo variam & mutabilem sortem expertus est, die 10. presentis mensis finivit, & ex mundanis in æternam beatitudinem nullis vicissitudinibus vel miseriis obnoxiam disces-



discessit. Natus autem est pie defunctus senex in Academia  
Regiomontana Borufforum, *dicto Anno 1583. vespera Mar-*  
*tini hora septima* ex honestissimis majoribus. Patrem ha-  
buit virum prudenti eruditione Præstantissimum DN.  
EBERHARDUM von *Gehren* Senatorem Regiomontanum  
spectatissimum: Matrem autem fœminam optimam  
URSULAM *Zimmermans* ex familia Zimmermanniana  
Dantisci præclara. Avus paternus ipsi fuit Vir Amplissi-  
mus & Prudentissimus DN. JOHANNES von *Gehren* Con-  
sul Regiomontanus bene meritus: Avia paterna fuit  
BARBARA *Krackau*/filia DN. JOHANNIS *Krackau* Sena-  
toris Dantiscani. Proavum laudat Virum Nobilem & Stre-  
num DN. NICOLAUM von *Gehren* ex Misnia ortum, qui  
Ephorus Serenissimi Ducis Saxonix & Misnix &c. in Re-  
giomontanam venit Academiam, cujus postea civitatis  
Consul creatus est. Proavia SYBILLA *Mevia* ex antiqua  
Meviorum familia, quæ Regiomonti est, originem trahit.  
Ex hisce majoribus ortus pie defunctus DN. D. REIN-  
HOLDUS von *Gehren*, prima eruditionis rudimenta, dum  
à parentibus provide educaretur, in Scholis Patriæ  
feliciter absolvit, postea Wilnam Lituaniæ metropolim  
missus, ibidem ad sesquiannum substitit, postea An. 1598.  
domum revocatus, in Pædagogio Ducali Regiomontano  
ad annum 1600. solida humanioris literaturæ fundamen-  
ta posuit. Cumq; dignus videretur ut in Scholis Regiis  
majores eruditionis gressus faceret, in Academiam Jenen-  
sem ablegatus est, in quâ, cū per integrum bienniū vixis-  
set, ad Rhenum se contulit, & in Coloniensi Universitate  
alterum biennium academicum complevit. Deinde pa-  
triam revisit, ex qua paulo post, ad aulam Regis Poloniæ à  
Cancellario Regni DN. LEONE SAPHIA vocatus, Secre-  
tarii munus sustinuit. Cumq; videret vitam aulicam stu-  
diis suis non valde proficuum fore, relicta illa iterum in  
Germa-



Germaniam ceu originis & futurae felicitatis patriam profectus est: adeoq; in Academia Hildelbergenſi, Marpurgenſi, Wittebergenſi, Lipſienſi, & Altorphina legalem ſolidae Jurisprudenciae terminum abſolvit. Praecipue per integrum triennium in Academia Altorſina ſtudiorum cauſa degit, propter SCIPIONEM GENTILEM & CONRADUM RITTERSHUSIUM, quos Praeceptores ibi nactus eſt feliciffimos & JureConſultos famigeratiſſimos. Horum itaq; erudito ſuccu bene nutritus, celeberrimas Italiae Civitates & in illis aſpectu, & obſervatu jucundiſſima & utiliſſima vidit. Tandem per Germaniam in noſtram Univerſitatem venit, in qua ſub Praefidio Viri Ampliſſimi & Jcti graviſſimi DN. HAJONIS von Neſſen Antecessoris olim optimi ac laudatiſſimi & poſtea Ducis Mecklenburgici Cancellarii Magnifici, pro honoribus doctoralibus conſequendis diſputavit. Et Anno 1609. conſenſu ſuorum, foeminam virtutibus ornatiffimam AGNETAM Klingen DN. BARTOLDI Richters J. U. D. & Conſiliarii Meclenb. viduam, quae JuriſConſulti ac Profeſſoris hujus Univerſitatis nominatiſſimi DN. BARTHOLOMAEI Klingen filia fuit, in matrimonium duxit. Anno autem ſubſequenti ſcilicet 1610. 10. Decembr. Doctoris honores modeſte petivit. Matrimonium illud uti conjugum fide ſacrū, ita etiam felici prole fuit beatū, tres enim habuit filios & duas filias, ELISABETHAM, JOHANNEM ERHARDUM, (qui in prima aetate naturae debitum ſolverunt) URSULAM, BARTOLDUM & REINHOLDUM. URSULA optimi parentis conſilio, nupta fuit Viro Ampliſſimo & Conſultiſſimo DN. HERMANNO Meyern J. U. D. Conſiliario Mecklenb. & Dithmarſorum ac Eiderſtadenſium Syndico fideliffimo, ex qua (filia inopinata morte interempta) piè defunctus tres nepotes & ſex neptes numeravit, quorum THEODORUS cum ſore ANNA  
MAR-



MARGARETHA in primo ætatis flore ex hac vita discessit. HERMANNUS autem, indefessus scientiarum cultor Regiæ Maj. Dan. Secretarius rei militaris est fidelissimus: REINHOLDUS Stocholmiæ inter officiales Reg. Maj. Sueciæ Secretarii munus sustinet: AGNETA Viro Amplissimo & Clarissimo DN. CHRISTIANO Münden J. U. D. & Advocato Slesvicensi in matrimonium collocata est, ex qua quinque pronepotes divina gratia superstes proavus habuit, BERNHARDUM, HERMANNUM, CHRISTIANUM, ANNAM & URSULAM. Quatuor neptes reliquæ URSULA, MARIA ELISABETHA, ELEONORA HELWIGIA & ANNA GERTRUD propter bella quæ Holsatiam devastarunt, hic apud avum securitatis causa fuerunt, ejusque obitum acerbè lugent. Filius BARTOLDUS J. U. D. præcellens, Marpurgi in Hassia Nobilissimi Viri DN. Doctoris PAULI Consilarii Hassiaci filiam uxorem duxit, & primo quidem Serenissimi Landgravii DN. GEORGII Assessor Judicii provincialis fuit: Postea autem à Serenissimis Ducibus Mecklenb. DN. nostris clementissimis Anno 1655. Assessor Cameræ Imperialis quæ Spirensis vocatus est, verum Anno subsequenti Dresdæ decessit, relicto filio unico ADOLPHO REINHOLDO, & filiabus duabus LUCRETIA & ANNA MARGARETHA. Ultimus præfati matrimonii filius est Vir Amplissimus DN. REINHOLDUS von Gehren J. U. D. & Judicii ac Consistorii Provincialis Advocatus eximius, qui ex duplici matrimonio patri suo, octo liberos obtulit, AGNETAM, REINHOLDUM, ANNAM, ELISABETHAM, BERNHARDUM BALTHASARUM, BARTHOLDUM, GERHARDUM, ANNAM SOPHIAM, & CHRISTIANUM, quorum tres inverso naturæ ordine mature ad beatitudinem æternam migrarunt, reliqui quinque gratia Dei superstites amantissimi avi mortem, cum Patre mortuissimo




ftiffimo lacrimantur. Constante illo matrimonio optimus  
senex prælustribus officiis cū laude præfuit, & primò quidē  
à Sereniffimo Principe ac Domino DN. ULDERICO here-  
de Norvagiæ & postulato Episcopo Sverinensi in consilium  
aulicum vocatus est. Quo defuncto, ab ejus successore in  
præfato Episcopatu, Serenifs. Principe ac Domino DN.  
ULDERICO, Potentifs. Regis Daniæ & Norvagiæ Chri-  
stiani IV. gloriosifs. memoriæ filio, in eodem honoris offi-  
cio retentus est. Postquam autem exardescente undiq;  
bello, dimissionē à publicis modeste impetraverat, pri-  
vatam elegit vitam: Sed hæud diu post à Civitatibus hujus  
Ducatus, Assessor Judicii Provincialis Stérnebergici ele-  
ctus est. Et cum crederet se undiq; successu prospero feli-  
cem, luctuoso mortis jaculo maxime vulneratus est, quan-  
do Anno 1639. svayissimam suam uxorem, cum qua ad 30.  
annos concorditer vixerat, amisit. Neq; tamen in luctu  
viduus perpetuo vivere aut reliquum vitæ transigere po-  
tuit, quapropter singulari Dei providentiâ & consilio suo-  
rum amicorū Anno 1640. secundā uxorem duxit, fæminam  
virtutibus muliebribus clarissimam ANNAM Sibrandes/  
Viri Spectatissimi DN. JOACHIMI Nesen Senatoris Rost. vi-  
duam & Viri Amplissimi ac Consultissimi DN. D. SI-  
BRANDI PP. & Syndici hujus civitatis gravissimi filiam.  
In quo matrimonio secundo itidem feliciter residos vi-  
tæ dies absolvit, & duos filios JOHANNEM ERHAR-  
DUM, & FRIDERICUM BERNHARDUM quorum *ille*  
Lipsiæ, *hic* Helmstadii studiorum causâ degit, procrea-  
vit; quibus cum mæstissima matre vidua gratiā divinā pre-  
camur. Neq; etiā hoc matrimonium novum ipsi hono-  
ris officium denegavit; siquidem Anno 1644. divina gra-  
tia præter omnem spem & opinionem Syndici hujus civi-  
tatis partes, sibi ultro oblatas, suscepit, eamq; spartam  
ad 16. annos fideliter exornavit. Tandem cum extremum  
humanæ



humanæ vitæ terminum collabascensibus undiq; viribus  
& extincto paulatim calido nativo sentiret; saluberrimis  
quidem Medicamentis ope Excellentissimorum & Expe-  
rientissimorum Medicorum DN. D. SIMONIS PAULI  
Sac. Maj. Dan. Achiatri, & DN. D. CASPARIS MARCHII  
PP. Collegæ & amicorum nostrorum honoratissimorum  
vires decrepitas interdum quidē focillavit, fallaci tamen  
spe pristinae restitutionis, ipsa enim senectus, quæ per se  
morbus est, ultimum vitæ diem præfagebat. Quare amicis  
suis cum benedictione ultimum vale dixit, seq; immensæ  
gratiæ Jesu Christi, cum brevi ante, ejus corpore & sangui-  
ne esset in certitudinem æternæ salutis nutritus, commen-  
davit, & ita inter devotissimas suas & adstantium preces  
placidissime 10. d. hujus post decimam matutinam ob-  
dormivit, & animam suam suo Creatori, per meritum  
Christi ab omni immunditie purgatam, cum annum 77.  
ætatis implevisset, reddidit. Corpus ejus decenti ritu ho-  
die terræ ceu sepulcro quietis ad novissimum diem de-  
mandabitur. Omnes itaq; literatos, literarum fautores  
& præcipue Cives Academicos amice & officiose invito, ut  
memores mortalitatis frequenti præsentia & decenti mo-  
re actū hunc funebrē exornare, ipsumq; funus ad suum se-  
pulcrum deducere dignentur. Honos enim hic uti de-  
betur defuncto, ita solatio est mœstissimis ejus  
viduæ & liberis.

Sub Sig. Rect. 19. d. Decemb. Anno 1660.


Conventus erit hora I. in æde  
Mariana,






















In Holstein wol bekant / und dabey blieb es nicht  
Man spürte noch dazu des Himmels Zorn Gesicht  
Wie ihm das gute Schwetz / von der Soldaten  
Die dieses Mechelnburg verheert an allen End  
Und sonst nichts außgericht / so gar verdorben ward  
Noch wahr es nicht genug / noch stellte sich G Dte  
Er grieff ihn wieder an / Herr Schuckman mu  
Den Weg der Eitelkeit / ein Mann der mehr den  
An Tugend übertraff / noch gieng diß alles hin /  
Herr Gehren ward noch nicht bewegt in seinem  
Er setz' in aller Noth zu Gotte sein Vertrauen /  
Er würd' ihn lassen nicht: Bis endlich seiner Fr  
Der Frayen die die Krohn in seinem Hause wa  
Auch vorgestellet ward die schwarze Todten Bal  
Da ward er erst gerührt / da wurden seine Wun  
Von neuen außgericht; Wie daß G Dte solche S  
Hat über mich verhengt sprach er des Lebens sat  
Nun weiß ich keinen Trost / nun weiß ich keinen  
Doch halff ihm G Dte herauß. Was sonst vor  
Ihm zugestossen seyn / das kan die Witwe sagen  
Die unter solchen Last bey nah' ermüdet ist /  
Und dennoch läset ihr das Unglück keine Frist  
Was vorhin sie betraff / von Sorg' Angst / No

Und Wiederwertigkeit / das theilten beyde He  
Nun liegt die Last auff ihr / die trägt sie nur allei  
Ein jeder steht von fern' und läst sie traurig seyn  
Doch dencket der euch hat den Unfall zuge schick  
Der euch mit dieser Traur das Herzk und Muß

